

WJEC

Level 2 Certificate in Latin Literature

Prescribed text for Unit 9541  
Latin Literature Themes

Theme A:

Books and Writers

This is the official examination text for the  
WJEC Level 2 Certificate in Latin Literature

## Catullus, *Carmina* 1

cui dono lepidum novum libellum  
arida modo pumice expositum?  
Corneli, tibi: namque tu solebas  
meas esse aliquid putare nugas  
iam tum, cum ausus es unus Italorum 5  
omne aevum tribus explicare cartis  
doctis, Iuppiter, et laboriosis.  
quare habe tibi quidquid hoc libelli  
qualecumque; quod, o patrona virgo,  
plus uno maneat perenne saeclo. 10

## Catullus, *Carmina* 22, lines 1-17

Suffenus iste, Vare, quem probe nosti,  
homo est venustus et dicax et urbanus,  
idemque longe plurimos facit versus.  
puto esse ego illi milia aut decem aut plura  
perscripta, nec sic ut fit in palimpseston 5  
relata: cartae regiae, novi libri,  
novi umbilici, lora rubra membranae,  
derecta plumbo et pumice omnia aequata.  
haec cum legas tu, bellus ille et urbanus  
Suffenus unus caprimulgus aut fossor 10  
rursus videtur: tantum abhorret ac mutat.  
hoc quid putemus esse? qui modo scurra  
aut si quid hac re scitius videbatur,  
idem infaceto est infacetior rure,  
simul poemata attigit, neque idem umquam 15  
aeque est beatus ac poema cum scribit:  
tam gaudet in se tamque se ipse miratur.

### Cicero, *ad Fam.* 9.1

postquam in urbem veni, mihi placebat redire in gratiam cum veteribus amicis - id est, cum libris nostris. non idcirco eos neglexeram, quod eis suscenserem, sed quod eorum me pudebat. videor enim mihi in his temporibus turbulentissimis praeceptis illorum non satis paruisse. ignoscunt mihi, revocant me in consuetudinem pristinam teque, quod in ea permanseris, dicunt sapientiore[m] quam me fuisse. quam ob rem, quoniam placatos eos inveni, sperare coepi et ea mala quae premant et ea quae impendeant me facile transiturum esse. 5

### Horace, *Odes* 3.30

exegi monumentum aere perennius  
regalique situ pyramidum altius,  
quod non imber edax, non Aquilo impotens  
possit diruere aut innumerabilis  
annorum series et fuga temporum. 5  
non omnis moriar multa[m]que pars mei  
vitabit Libitinam; usque ego postera  
crescam laude recens, dum Capitolium  
scandet cum tacita virgine pontifex.  
dicar, qua violens obstrepit Aufidus 10  
et qua pauper aquae Daunus agrestium  
regnavit populorum, ex humili potens  
princeps Aeolium carmen ad Italos  
deduxisse modos. sume superbiam  
quaesitam meritis et mihi Delphica 15  
lauro cinge volens, Melpomene, comam.

## Ovid, *Amores* 1.1, lines 1-8, 13-14, 19-28

arma gravi numero violentaque bella parabam  
edere, materia conveniente modis.  
par erat inferior versus; risisse Cupido  
dicitur atque unum surripuisse pedem.  
'quis tibi, saeve puer, dedit hoc in carmina iuris? 5  
Pieridum vates, non tua turba sumus.  
quid, si praeripiat flavae Venus arma Minervae,  
ventilet accensas flava Minerva faces?  
sunt tibi magna, puer, nimiumque potentia regna:  
cur opus affectas, ambitiose, novum? 10  
non mihi materia est numeris levioribus apta,  
aut puer aut longas compta puella comas.'  
questus eram, pharetra cum protinus ille soluta  
legit in exitium spicula facta meum,  
lunavitque genu sinuosum fortiter arcum, 15  
'quod' que 'canas, vates, accipe' dixit 'opus!'  
me miserum! certas habuit puer ille sagittas.  
uror, et in vacuo pectore regnat Amor.  
sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat:  
ferrea cum vestris bella valete modis! 20

## Martial, *Epigrams*

### 1.38

quem recitas meus est, o Fidentine, libellus;  
sed male cum recitas, incipit esse tuus.

### 6.60

laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos,  
meque sinus omnes, me manus omnis habet.  
ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit.  
hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent.

### 7.3

cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?  
ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

### Pliny, *Letters* 1.13

magnum proventum poetarum annus hic attulit: toto mense Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis. iuvat me quod vigent studia, proferunt se ingenia hominum et ostentant, tametsi ad audiendum pigre coitur. plerique in stationibus sedent tempusque audiendi fabulis conterunt, ac subinde sibi nuntiari iubent, an iam recitator intraverit, an dixerit praefationem, an e magna parte evolverit librum; tum demum ac tunc quoque lente cunctanterque veniunt; nec tamen permanent, sed ante finem recedunt, alii dissimulanter et furtim, alii simpliciter et libere. 5

at hercule memoria parentum Claudium Caesarem ferunt, cum in Palatio spatiaretur audivissetque clamorem, causam requisisse, cumque ei dictum esset recitare Nonianum, subitum recitanti inopinatumque venisse. nunc otiosissimus quisque multo ante rogatus et identidem admonitus aut non venit aut, si venit, queritur se diem, quia non perdidit, perdidisse. 10 15

### Pliny, *Letters* 3.21

audio Valerium Martialem decessisse et moleste fero. erat homo ingeniosus acutus acer, qui in scribendo plurimum et salis et fellis haberet, nec candoris minus. eum in Hispaniam secedentem adiuveram viatico; dederam hoc propter amicitiam, dederam etiam pro versiculis quos de me composuit. olim ei qui vel singulorum vel urbium laudes scripserant aut honoribus aut pecunia honorari solebant. nostris vero temporibus hic mos periit: nam postquam desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. 5

merito eum nunc ut amicissimum mortuum esse doleo. dedit enim mihi quantum maximum potuit: plus etiam dedisset si vixisset. sed quid homini potest dari maius quam gloria et laus et aeternitas? fortasse non erunt aeterna quae scripsit, ille tamen scripsit tamquam essent futura. 10

### Tacitus, *Annals* 4.34-35

Crementius Cordus accusatus est quod in suis annalibus M. Brutum laudaverat et C. Cassium Romanorum ultimum esse dixerat. egressus senatu vitam abstinentia finivit. libros in foro cremandos esse censuerunt senatores: sed manserunt, primo celati deinde editi. igitur illos irridere licet qui credunt sua potentia 5  
extingui posse etiam sequentis aevi memoriam. nam contra punitis ingeniis crescit eorum auctoritas, neque aliud effecerunt externi reges aut qui simili saevitia usi sunt nisi dedecus sibi atque illis gloriam.

### Suetonius, *Claudius* 41

historiam in adolescentia hortante T. Livio scribere coepit. cum primum frequenti auditorio commisisset, aegre perlegit saepe refrigeratus a se ipso. nam initio recitationis, compluribus subsellis obesitate cuiusdam fractis, risus exortus est; ne sedato quidem tumultu desistere potuit huius facti subinde reminisci cachinnosque 5  
revocare.

in principatu quoque et scripsit plurimum et saepe recitavit per lectorem. initium autem sumpsit historiae post caedem Caesaris dictatoris, sed transiit ad inferiora tempora coepitque a pace civili, cum sentiret neque libere neque vere de superioribus dicere 10  
permissum esse, saepe correptus et a matre et ab avia.